Concha marina[+] Lembiformis. Der ablange, und äüſſerſt zugerundete Meer-Weidling.
+ Rhomboidæa

Eſt Conchula marina à præcedente rhomboidæa naviformi diſtincta: I. quòd in extremitatibus ſuis nullo modo ſit angulоſa, ſed ſubrotundata. II. quòd non ſit ſulcata. III. quòd non ſit tam inſigniter umbonata, ac ventricoſa. IV. quòd planum inter duo roſtra ſitum ſit longè anguſtius. V. quòd non ſit lineatum, ſed ſquamoſum, VI. quòd cardo non conſiſtat in prorſus rectâ lineâ, VII. ſed in extremitatibus tantillùm incurvatâ. VIII. quòd crenulæ non ſint eiuſdem magnitudinis, ſed in extremitatibus longiores, et magis obliquæ, in medio verò minores. IX. quòd umbo ſit lævis, et non ità eminens, et X. ſtriæ ſub umbone primùm incipiant. XI. quòd ſtriæ longè ſint tenuiores, et XII. Valvæ non ità inæquales. XIII in medio oræ extimæ tantillùm compreſſæ, XIV. plerumque terreſtris coloris. XV. internè autem non ſint tam profundè excavatæ, et demùm XVI. tenuioris teſtæ, ac XVII. nullâ algâ, ſeu musco algæformi exereſcente ex extrema ſuperficie teſtularum circa oram ſitarum exornatæ.

Concha marina[+] Lembiformis umbone lævi, et verſus extimam oram ſenſibiliter rugoſa, ac ſtriata, orâ cardini oppoſitâ in medio notabiliter compreſſâ terreſtris coloris.
+Rhomboidæa.



Eadem quoad faciem internam repræſentata, ut planum ſquamoſum, et crenulæ in extremitate longiores appareant, cum limbo obſcuriore internam faciem cineream cingente.

Concha marina[+] Pelviformis. Das Meer-Hand-Becke.
+Rhomboidæa.

Eſt Concha marina à duabus præcedentibus Conchulis oblongis diſtincta: I. quòd non ſit oblonga, ſed quaſi rotunda, è latere oppoſito cardinis, qui per lineam rectam finitur innumeris crenulis inſtructam, quæ in utraque extremitate longiores ſunt, in medio verò minores. II. quòd ſit inſigniter ventricoſa, ità ut integra concha non aliud, quam umbo ventricoſus videatur. III. cervice ſeu roſtro craſſiore, et ad latus notabiliter incurvato inſtructa. IV. ſpatium inter duo roſtra latiuſculum et ſquamoſum, et ad extremitatem ſquamarum aliis minimis crenulis exornatum. V. Concha externè omnimode ſtriata eſt, ſtriis latiuſculis rugoſulis, rugis præſertim ad extimam oram perceptibilibus. VI. pars interna quoque leviter ſtriata eſt, extima autem interna eiuſdem ora profundis crenulis inſtructa, ex utroque latere ad rectam lineam uſque ſeſe propagantibus, quæ crenulæ appendices quædam alicuius teſtæ ſubditiæ videntur, ſeparatæ à propriâ teſtâ conchæ, cùm hæ externè non latiuſculæ, ſed ſubrotundæ appareant.

Concha marina[+] Pelviformis è parte umbonis repræſentata, ſtriata, ſtriis latiuſculis, ad oram rugoſis, extra quam ſtriæ ſubrotundæ teſtæ ſubditiæ apparent, dilutè cinerei coloris.
+ Rhomboidæa.

Eiuſdem interna facies tantillùm ſtriata, cum plano ſquamoſo, extremis crenulis longioribus, et extimâ internâ orâ ſulcatâ, ad crenulas uſque longiores.

Eadem minor eburnea, ex utraque facie repræſentata.